
DISSERTATIO
INAUGURALIS PRACTICO-MEDICA
PERTRACTANS
CYNANCHEN MEMBRANACEAM,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS AC DIRECTORIS,
NEC NON
CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. Professorum
pro
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS
in celeberrima
C. R. ACADEMIA JOSEPHINA
publicae disquisitioni submittit

Franciscus Ritschel,
Bohemus Launensis,
Medicus castrensis.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die mensis Aprilis 1841.



VINDOBONAE.
TYPIS CAROLI UEBERREUTER.

PERILLUSTRI, SPECTABILI,

AC DOCTISSIMO

DOMINO DOMINO

FR. JOS.

Mezler de Andelberg

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI,

INCLYTAE LEGIONIS TORMENTARIORUM PRIMAE

REI MEDICAE PRAEFECTO,

MERITORUM CIVILIUM NUMMO AUREO MAGNO

DECORATO,

PLURIUM SOCIETATUM ERUDITARUM SODALI, etc. etc.

VIRO

SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA

NEC NON

INTEGRITATE, HUMANITATE, BENEVOLENTIA

AEQUE INSIGNI,

FAUTORI SUO OPTIMO

TANQUAM ANIMI GRATISSIMI

SINCERIQUE CULTUS

MONUMENTUM

SUMMA CUM AESTUMATIONE

HOC SPECIMEN INAUGURALE SACRUM ESSE

VULT ET DEDICAT

devinctissimus

Auctor.

Definitio.

Cynanche s. angina membranacea est laryngis aut tracheae, aut utriusque organi simul inflammatio, solam fere aetatem infantilem occupans, quae acutissime decurrit, et singularem sistit propensionem transsudandi pseudomembranam, aëris ad pulmones accessum arcentem, specificum vocis alienatae et tussis sonum, summam anxietatem imo mortem ex suffocatione producentem.

Denominationes hujus morbi synonymicae admodum numerosae reperiuntur: Angina stridula, polyposa, exsudatoria, strepitosa, strangulatoria, suffocativa; Tracheitis infantum humida. Nomen autem omnibus medicis maxime usitatum „Croup" scoticae originis, compressionem significat. Germanis vocatur: häutige Bräune, Hautbräune, pfeifende Bräune, Stickbräune, Kehlkopfbräune, Hühnerweh etc. etc.

Hypotyposis.

Morbus quandoque subito irruit, consuetim tamen solitis catarrhi incipientis symptomatibus per unum aut aliquot dies praegressis orditur; coryza nimirum, cephalaea, raucedine, tussi ac febricula vesperi manifesta; unde fit, ut parvuli nativam hilaritatem, et consuetam ad jocos aliaque oblectamenta proclivitatem amittant; hinc tristes, morosi fiunt ac solito magis incalescunt. His interdum jam ab initio levis jungitur in larynge dolor. Nunc vero pathognomonica accedunt symptomata, plerumque vesperi aut saepe saepius noctu semet manifestantia. Infans somno expergefactus acriore

vexatur tussi, cujus sonus raucus ab illo diei praecedentis admodum differt; qua sub tussi respiratio est impedita, laryngem quasi pressum aut constrictum significans; inspiratio fit sibilosa, fistulans et stridens, exspiratio autem saepe vix laesa; pulsus frequens, elevatus; facies rubens; oculi protuberant lacrymantes. Circa auroram phaenomena haec mitigantur, et proles haud multo magis quam heri vesperi aegrotare videtur; pulsus vero frequentior, tussis raucior evadit. Quodsi per diem nullus adparuerit insultus, infans lectui traditur, sed vix obdormiscens subito expergefit sub simili multo autem vehementiore tussi; difficultas respirii est maxima, saepe summa cum anxietate, inquietudine et sensu strangulationis, suffocationis nec non doloris nupta; quae omnia efficiunt, ut parvuli guttur manibus tangant, impedimentum respirationis quasi auferre conantes. Inspiratio fit sonora, facies tumidula, rubens aut caerulescens imo livida; oculi splendent; cutis est calida, pulsus plenus, durus et frequens; tussis rauca, clangosa, spastica, sicca, nonnunquam etiam cum sputis parcis tenacibus, mucosis, admixtis saepe striis sanguineis copulata. Post insultum infans obdormit, et sub somno adspicientibus ab initio nil nisi molestam et sonoram offert respirationem, quae somno diutius perseverante celerior evadit et magis strepens, nova mox subsequente invasione. Qui insultus ratione morbi gradus majore aut minore velocitate se invicem excipiunt, vehementiores aut mitiores adparentes. Sub vigilando respiratio minus sonora est, quam sub dormiendo; parvulos vero clamantes vel lacrymantes statim paroxismus invadit. His factis associatur saepe sitis inexplebilis, deglutitio nec impedita et facilis, lingua quidpiam tecta; vox mutatur, fit stridula, acuta, cum pullorum pipientium sonitu comparanda, rarius adeo rauca et clangosa, ut illi suis mactatae aut cani latranti similem existimes, quod vocis vitium continuum esse solet, quin manifeste remittat;

imo quandoque aphoniam superaccedere videbis. Interdum secunda nocte sub insultibus motus convulsivi nec non vomitus levans materiae albidae, tenacis observantur. Hac in morbi periodo urinae adhuc normales, et quoad copiam potus assumti plus vel minus coloratae evadunt.

Respiratio ope stethoscopii indagata phlogoseos cellularum aërearum indicia suppeditat, interdum ipsius substantiae pulmonum. Initio enim auditur strepitus mucosus, serius autem rhonchus sibilans. Thorax percussus in vario ambitu sonum edit obtusum.

Dies subsequens non tantam celebrat in phaenomenis remissionem, uti antecedens; dyspnoea continuo increscit, diducitur os, hiant nares, costae spuriae et diaphragma in perpetuo versantur motu, atque suffocatio timetur. Pulsus fit contractus et irregularis, in facie pallida prorumpit sudor; labia livescunt. Quae omnia summam significant anxietatem; exspiratio fere ita ut inspiratio auditur sonora; vox magis magisque perditur, et infantes brevia solum et interrupta eliciunt verba. Nonnunquam sub tussi ac vomitu lacinias emittunt ad vicem membranaceas, quas incaute adspicientes pro frustulis internae tunicae trachealis habere possent; quae tamen sputa non raro in pauca tantum sublevant momenta. Si aegrotanti potulenta offerantur, vix audet ob suffocandi metum ori imponere poculum, quod saepe etiam avidissime petit. Sub hoc statu periculoso interdum adhuc remissiones licet breves adparent, et mox symptomata multo majori redeunt furore. Dyspnoea nunc existit terribilis, respiratio stertorosa, et suffocatio cum omnibus suis satellitibus parvulis mortem minitatur. Frustra caput retrorsum flectunt tracheam extendendi causa, ut aëri viam ad tractum respiratorium amplificent; convulsionibus stipantur; collum intumescit; pulsus sunt frequentissimi, vix numerandi, parvi, intermittentes; facies pallida, inflata; oculi videntur re-

tracti et saepe rotantur; sudor frigidus ac viscidus omne tegit corpus. Quam miserandam scenam, mox brevius mox diutius durantem, plerumque conscientia plena, mors tandem claudit suffocativa.

Non omnis autem cynanches membranaceae decursus adeo acutus est; existit potius et chronica; novem, quatuordecim vel septemdecim dierum imo et plurium hebdomadarum spatium implens, quae symptomatibus huic morbo propriis mitiori tamen gradu stipatur, tum praesertim, ubi morbus fallaci lenitate irrepens, praeterviso contra hostem auxilio, aegrum eo certius conficit.

Terminationes.

1. Sanitas, quae singulis morbi diebus impetrari potest. Croup saepe primis jam hirudinibus adhibitis evanescit; nonnunquam vero pertinacior adparet, therapiam generosiorem exposcens. Hunc exitum faustissimum exspectare licet sub insultibus rarioribus et mitioribus, decrescente respirii impedimento, expectoratione concrementorum lymphaticorum variae formae et magnitudinis, vel sputorum mucoso puriformium, sudore et urina, sedimento copioso albido notata, criticis; subinde excretionibus quoque alvinis coloris viridescentis, odore proprio notatis. Ea ratione, qua pseudomembranae feliciter separatae tussis ope ejiciuntur, illa rarior et minus rauca, vox clarior redditur. Quandoque coagula lymphatica ab infantibus excreare nescientibus deglutita per alvum excernuntur. Febris comes sub consuetis evacuationibus criticis judicatur. Magnam vero morbus vix exantlatus in recidivas periculo plenas involvit propensionem; tussis et raucedo nonnisi ultimo reconvalescentiae tempore evanescunt.

2. Mala posthuma, quae in duplicem seriem dispesci possunt: a) in illa, quorum causa in mutata con-

ditione partium morbo immediate correptarum fundatur; uti levis febris catarrhalis, qua Croup plerumque finitur; status irritationis laryngis et tracheae, ipsam post sanitatem adhuc tussim, vocis alienationem, nec non mitem causans febrim; morbosa bronchorum affectio, primis morbi symptomatibus jam devictis nunc saepe remanens, quae phthisim pulmonalem subsequam habere aut propter pulmonum obpletionem asthma gignere consuevit — b) in ea, quae originem suam morbosis functionibus partium mediate solum adfectarum debent; uti pleuritis ex inflammatione viarum respirationis orta, non raro letalis; sanguinis oppletio cerebrum tenens, saepe hydropem ejusdem organi efficiens; febres gastricae aut nervoso-gastricae, quas Albers non ut effectum morbi, sed potius ut sequelam tractaminis declarat.

3. Mors, quae diverso accedit temporis spatio, in genere secundum intra et decimum diem, licet exempla invenies, ubi transitus hic fatalis jam primo die ac ultra decimum adparuit. Dum vero Croup simplicem membranae muciparae sistit morbum, quibusnam rationibus haecce diversitas aliis morbis inflammatoriis ejusdem generis non solitaria est adscribenda? Quam ad quaestionem solvendam Croup incipiens pro inflammatione spasmo nupta censeatur oportet, qui ab organisatione partium dependet, et cujus intensitas ratione primariae morbi sedis nec non individualis aegri conditionis varia esse potest. Si igitur infantes primo jam insultui succumbant, emoriuntur quasi suffocatione, quum spasmus cum irritatione inflammatoria junctus ob intumescentiam et constrictionem glottidis aëri accessum denegat. Econtra vero, si malum protendatur, mors ex praesentia et effectu concretionum membranacearum, aut obturatione bronchorum et turbis exinde ortis sequitur; nam in hoc stadio insultus spastici raro sunt exitiales. Quarum concretionum existentia triplici ratione cladem

proferre valet: vel insident liberae, et omni momento ejici queant, nisi propter exiguam glottidis aperturam retineantur, hinc inde ad instar corporis peregrini subito enecantes - vel pro parte laxae sunt et pensiles, ita ut epistomii vices agant, et hac ratione aëris accessum recessumque admodum impediant, quo in casu parvuli sub miseranda scena mortem patiuntur suffocativam — vel tandem pseudomembrana in omni tracheae circumferentia adhuc firmiter adhaerens aëris permeabilitati nonnisi parum obstat, et aegri minus atrociter pereunt ex irritatione inflammatoria; quae in superiore viarum pneumaticarum parte haud disparens in bronchos extenditur, obpletionem hic potius adaugens; quo facto sanguis sub circulatione pulmonali, nec minus sub oxygenatione maxima experitur impedimenta. Nonnunquam infantes, quos pseudoproductis ex larynge aut trachea plane vel pro parte saltem evomitis jam salvatos censebamus, ex improviso moriuntur; id quod soli canalis respiratorii oppletioni infra denudatam illius partem adscribendum. Praeterea facilis concretionum istarum reiteratio patet, si causa irritans adhuc perseveret, remediis aptis nondum amota. Nec aegros ab omni periculo liberatos censere licet, ubi viarum respirationis tunicam nonnisi stratum muci crassi, tenacis obsidet, quoniam ipse in ultimas bronchorum ramificationes propagatus superveniente spasmo suffocationem provocare valet.

Differentiae a morbis analogis.

1. A catarrho pulmonum. Uterque morbus sub initio iisdem fere stipatur phaenomenis, et Croup a catarrho pulmonum vix alio dignoscitur symptomate, nisi tussi characteristica, voce rauca majorique sub conamine acuta, serius sibilosa, subitanea scenae mutatione, nec non decursu accelerato. Majorem certe supra

diagnosim lucem sparget observatio, plures infantes eodem tempore angina membranacea affectos decumbere.

2. Ab angina gutturali differt, quod in hac fauces et oris partes internae rubent, tument, et sparsim cuticula albescente obteguntur, deglutitio plus aut minus laesa, difficilis evadit, aegri per nares loquuntur; quum in cynanche polyposa oris cavitas nil morbosi visus ope ostendit, deglutitio libera est, nec oris interni nec faucium tumor adparet.

3. A catarrho laryngis vel tussi ovilla, cum qua ratione soni proximam habet analogiam; deficit tamen in tussi ovilla febris et dolor in larynge; similem ceterum sistit irritationem, et haud raro praesertim sub regimine incongruo in veram anginam membranaceam erumpit.

4. Ab asthmate Millari, cujus clara distinctio magnis subinde premitur difficultatibus. Asthma Millari, non epidemice occurrens, subito et absque prodromis subjecta potissimum debilia, irritabilia, nervosa, verminosa adoritur; aeger nullum in trachea persentit dolorem fixum, sed de doloribus vagis sub insultu suffocatorio in pectore sese concentrantibus illiusque constrictionem producentibus movet querelas; facies est pallida, vox profunda, aspera et rauca; tussis perpetuo sicca, sputa nulla; calor non auctus, extremitates saepe frigent; urina clara, aquosa, limpida absque sedimento spumoso; pulsus admodum variabilis, modo celer, modo tardus, modo spastice contractus; respiratio potius stertorosa, quam sibilosa. Destituitur porro febri comite, et insultu finito symptomata morbosa disparent. Morbus ceterum adeo rarus, ut practicorum non paucis de illius existentia dubitare placeat.

5. A tussi convulsiva. Decursus hujus morbi chronicus, insultus periodici, per aëris expulsiones non interruptas sese manifestantes, quae sibi invicem inse-

quuntur, celerrime se excipiunt, et ad perfectam usque exspirationem continuant; sonus ruditui asini haud dissimilis, quo aegri longiori aut breviori spatio, cessante quasi respiratione, inspirant, et quae scena saepius reiteratur; dolor tandem in pectore et hypochondriis pungens, aegros ante et post paroxysmum vexans, sufficientia praebent discrimina, quae medicum in observandis morbis attentum numquam fallent.

Character anatomicus.

Ad cognoscendam qualitatem concretionum in cynanche membranacea formatarum structuram membranae, cui productum hoc morbosum originem debet, in memoriam revocare, illam explorationi chemicae subjicere, et mutationes, quarum pro diverso tracheae statu particeps est, investigare oportet. Praeterea secretio haec cum similibus in aliis organis provectis comparanda est.

Membranae muciparae tantum in cavernis cum superficie corporis connubium sustinentibus inveniuntur; quamobrem etiam perpetuo efficaciam aëris atmosphaerici experiuntur, continuitatem quasi integumentorum externorum exhibentes. Glandulae mucosae, quarum ductus excretorii epithelium perforant, fluidum secernunt, hasce tunicas semper humectans, et ab injuriis influxuum externorum defendens. Licet membranae muciparae epithelio sunt vestitae, magnam tamen possident sensibilitatem, a subtilitate hujus membranae dependentem, quae ea ratione crescit, qua epidermis profundius in corporis interiora penetrat. Haec insuper sensibilitas magna directo aëris influxui in ductus excretorios glandularum mucosarum debetur, quo subitaneis atmosphaerae vicissitudinibus expositae ad uberiorem muci secretionem coguntur.

Materia peccans, quam Croup sistit, pro modo et

gradu inflammationis tunicam tracheae occupantis in majore aut minore copia nec non extensione observatur; imo ex qualitate mucosa in solidam fere abire valet, prouti plus aut minus calori et evaporationi subjiciatur. Nonnunquam concrementum in rimae glottidis ostium et laryngem definitur; lamellulae pseudomembranaceae has partes obtegentes firmiter plerumque adhaerent, et epithelio custoditae videntur. Quae pseudomembranae conditio post citam aegri mortem semper in marginibus rimae glottidis nec non in palati velo reperitur; morte tamen aliquot diebus post illius originem accedente non raro epidermis observatur emollita et destructa, atque pseudomembrana videtur intecta. In interna laryngis parte lamellulae membranaceae etiam plus vel minus adhaerent, numquam vero sub epithelio jacentes visuntur, maxima ex parte muco purulento, spumoso obductae. Mox solum omnis interna laryngis facies hac vestitur pseudoproductione, quae brevi in tracheam extenditur, ubi perfectum tubum aut nonnisi stratum plagae anticae vel posticae hujus organi insidens format. Quibusdam in casibus pseudomembrana bronchorum partem, imo et ultimas eorum ramificationes occupat; in trachea plerumque inter duo materiae purulentae strata libere pendens, in bronchis autem plus vel minus adhaerens. — Consistentia illius et crassitudo magnopere variant. Sub decursu morbi acutissimo, ubi aeger intra 48 aut 24 horas emoritur, tenuis adparet, malo autem per plures dies durante crassior evadit. Interdum ad lineam crassa conspiciebatur; mox alba, pellucida, mox flavescens, opaca, aut in facie tunicae mucosae obversa striis vel punctis rubris intermixta. — Textura non semper homogeneam exhibet indolem; nonnunquam jam nudo observare licet oculo, eam ex parvis, rotundis, agglomeratis, obscuris constare floccis, in strato clariore et magis pellucido versantibus. — Quod consistentiam pseudomembranae attinet, mox solida et fere coriacea, mox

vero mollis et diffluens cernitur, praeprimis ea ratione, qua ulterius ab larynge remota est.

Praeter concretiones supra descriptas arteria aspera et ejus rami saepe muco albovirescente fere purulento replentur, qui nunc pseudomembranam inter et parietes canalis respiratorii, nunc in sola tuba membranacea residet. Qui mucus praesertim sub usu Calomelis in uberiore copia observatur.

Notae, quas membrana mucosa sub pseudoproducto exhibet, haud minoris sunt momenti. In epiglottide et marginibus rimae glottidis plerumque rubescens et tumida adparet; in larynge ac quadam tracheae parte maculis parvis rubicundis est obsessa. Multis tamen in casibus nullus invenitur rubor in superficie membranae muciparae horum organorum, praeprimis apud infantes tenellos, et morbis praegressis debilitatos. — Reliquae mutationes, quas in diversis conspicere licet organis, si Croup simplex evadit, consistunt in tumore et rubore folliculorum mucosorum, radicis linguae et faucium, in sanguinis obpletione posticam pulmonum partem tenente, in dilatatione atrii et ventriculi cordis dextri, nec non venae cavae superioris.

Analysis chemica in omnibus pseudomembranosis viarum pneumaticarum concretionibus similes invenit qualitates. Licet diversissimae in aqua tamen omnes sunt insolubiles, emolliuntur, et in solutionibus kali nitrico abundantibus consistentiam muci pellucidi praebent; in fluidis alcalinis nec non acidis cardinalibus prorsus solvuntur, sub incendio calcem phosphoricam natrumque carbonicum exhibent, et tandem quoad reagentia albuminis phaenomena portendunt.

Aetiologia.

Eminens momentum disponens in cynanchen polyposam aetas sistit infantilis, a nativitatis tempore ad

septimum, nonum usque annum. raro serius; rarissime vero adulti huicce morbo spectantur obnoxii. Quae dispositio eminens non solum in majore teneritudine et irritabilitate organorum spirantium, in erethismo ac facili in congestiones nisu, sed etiam in organismi infantilis sanguine, largiorem gelatinae et lymphae copiam gerente, nec non in praevalente nisu formativo simul agnoscere fontes essentiales videtur. Testantur observata, infantes vivaces, vigorosos et plethoricos prae debilibus ac lentis malo hocce infestari. Solet etiam morbus subjectis virilibus frequentius insidias struere, quam foemineis.

Quodsi infans semel anginam membranaceam exantlaverit, magnum usque ad pubertatem in semet nisum recondit, repetita vice corripi. Lactati huic affectioni, jamjam sepositis, minus ceteroquin subjiciuntur.

Momentum occasionale frequentissimum est refrigeratio, per rudem imprimis boream vel austrum tempore autumnali, hiemali et vernali, sicut per tempestatem humido-frigidam et ventosam inducta: unde morbus in regionibus udis, paludosis, ad fluminum ripas, lacuum mariumque littora frequentior observatur. Cui perfrigerio repentino aetas infantilis potius, quam quaevis alia, obnoxia est, idque eo magis, quo diligentius parvuli contra tempestatis injurias foventur, et inconsuetis dein influxibus minorem opponere valent resistentiam. Sed et aliis noxis v. g. vaporibus calcis murorum recenter dealbatorum originem debuisse suam visus est.

Symptomatice morbillos sat frequenter comitatur cynanche membranacea, tam sub morbi initio, quam serius incipiente desquammationis stadio, qui casus ultimus sub morbillis Pragae 1823 epidemice regnantibus saepissime fuit observatus. Rarius rubeolis et scarlatinae sociam se addit, frequentius tussi convul-

sivae. Variolis humanis temporibus antiquis haud raro juncta incessisse mortemque produxisse videtur; multi enim adducuntur casus, in quibus variolis ceterum legitime decurrentibus raucedo vocis, respiratio difficilis comparuit, et aeger praeter omnem medici exspectationem faucibus orci traditus est.

His observationibus innixi declarare possumus, anginam polyposam iisdem potentiis noxiis generari, quibus catarrhos provocatos videmus, ejusdem tamen naturam catarrhalem peculiari corporis infantilis structura modificatam esse, atque sub ulteriori decursu, funestis circumstantiis concurrentibus, aliorum catarrhorum ad instar contagium evolvi posse.

Prognosis.

Cynanche membranacea pertinet ad morbos periculosissimos, celerrimum artis auxilium desiderans; ultra medium enim adfectorum numerum e vivis hucusque sustulit. Difficillime est exitum morbi modo definito praesagire; plurimi occidunt, in quibus phaenomena nequaquam lacessunt, et multi salvantur, quos jam morti traditos censere placuit.

Repentina absque prodromis catarrhalibus morbi invasio, febris vehemens, decursus celerrimus cum remissionibus vix animadvertendis, eminens statim ab introitu sub loquela et tussi alienatio soni, respirium et citra tussis accessus molestum, horumque accessuum repetitio frequens cum anxietate ingente et symptomatibus suffocativis, urgens patefaciunt periculum.

Magis timendum evadit malum in infantibus compagis laxae, spongiosae, ad morbos membranarum mucosarum proclivibus; nam hic processus morbosus saepe clandestino serpit sub forma catarrhi.

Quo major lymphae plasticae copia adest, eo infaustius praesagium; econtra symptomata lacessentia,

quae sub exordio mali adparent, potius e systemate nervoso promanantia, non tanti sunt momenti.

Remissionibus, quas multi prosperis adnumerant signis, parum confidendum; ab initio semper observantur, nullum vero levamen praebentes, et sub morbi progressu pedetentim breviores.

Infantes natu minores in majore versari solent periculo, quoniam status inflammatorius cito in illis absque resolutione decurrit, vires facile exhauriuntur, febris inde nervosum induit characterem, tussis vehementibus organorum respiratoriorum spasmis suffocationem minitantibus sociatur, aliaeve organismi partes spasmis et convulsionibus corripiuntur exhaurientibus.

Pueri prae puellis robusti, vividi, plethorici prae imbecillibus ac teneris cynanche membranacea frequentius ac vehementius, graviore igitur cum vitae discrimine, plectuntur.

Pura morbi hujus imago eventum secundum magis sperare sinit, quam aliis morbis obscurata; item vere a vento frigido nata, intensius inflammatoria plus periculi, quam autumni soboles, secumferre consuevit.

Malum est signum, quando respiratio valde molesta voxque infantis adeo rauca evadit, ut vix percipi queat; id quod etiam valet in casu, ubi facies pallida et livida, tussis non amplius animadvertenda, pulsus intermittens, debilis, vix tangendus observantur.

Morbo prima et secunda die praeterviso, neglecto, et non congrue solum tractato ulterior sero medicina paratur; haec saltem crisi tardae, difficili, imperfectae, aut metastasibus, reconvalescentiae protractae,

aut malis posthumis avertendis plerumque jam impar erit.

Tussis valde frequens, spasmis et convulsionibus juncta, loquendo, bibendo, lacrymando aliisve ansis externis facile provocanda; membranae ejectae crassae, solidae, tubiformes, manifeste organisatae; inquietudo, anxietas aut propensio in soporem magna; sudores frigidi; pulsus arteriarum admodum frequentes, molles, parvi, irregulares, pessimi sunt ominis.

Si remediis adhibitis respiratio et reliqua phaenomena emendari quidem videantur, sed denuo priori atrocitate recrudescant, mors exspectanda.

Sputa, sanguine multo mixta, attamen rara, exitum praesagiunt infelicem; saepissime enim febris hectica succedit.

Diarrhoea valida, aquosa, in transsudationis stadio, mortis pulsantis praenuntium.

Circumstantiae oppositae cum therapia apta et tempestiva faustum promittunt eventum. Huc praecipue spectant: levis in trachea strepitus, optimum absque dubio signum, inductus per fluctuantes huc illuc particulas membranaceas, a parietibus solutas; deglutitio quamque tussiculam excipiens; sudor universalis remediis adhibitis provocatus; sputa copiosa facile ejicienda; febris decrementum, frequentes alvi depositiones coloris viridicantis; urina ad secundi stadii finem aut tertii initium turbida, mox mucosa, sedimentum albidum, a veteribus pus habitum, deponens; anxietatis et respirationis impeditae imminutio; livor faciei disparens; serena placidaque physiognomia, nec non regressa hilaritas infantis de omnibus, quae circa illum aguntur, rursus participare initiantis.

Therapia.

Prophylaxis in his praeprimis casibus suadenda erit, ubi exorta ejusmodi catarrhalis epidemia parentes et medicum ad periculum attentos facit, quaeque potissimum ad aptum regimen diaeteticum restringitur; necesse enim, ut infans contra omnem influxum causae nocentis morbumque producentis sedulo defendatur, simulque sanus ab aegro separetur. Quare etiam infans vestes induat temperaturae gradui accommodatas, neque pellibus involvendus, neque noctu stragulis anxie obruendus, et fors in hac parentum anxietate infantulos suos tepore fovendi, causa primaria latet, cur ditiorum multo frequentius liberi morbo vexentur eodem ipso tractamine allicito, quo eundem praecavere, arcere conabantur. Maxime autem invigilandum in infantem, qui semel jam fatali hoc morbo correptus fuerit, quum observationibus celeberrimorum Albers et Jurine evictum est, illum lubenter saepius reverti.

Quando autem morbus revera jam exortus sit, citissimo medici auxilio indiget; rarus enim casus, ubi angina membranacea solis naturae viribus sanata fuerit.

Cura igitur ipsa citra causam excitantem, siquidem adhuc ageret, auferendam, sequentes indicationes habet adimplendas:

1. Vehementiam mali quam citissime frangere, ne ad inflammationis phlegmonosae gradum adscendat;

2. phlogosin jam praesentem compescere, vel saltem diminuere, ac perinde lymphae coagulabilis transsudationem impedire;

3. pseudomembranae in his partibus enatae adhaesionem tollere, ipsamque eliminare;

4. vires vitales, quatenus necessaria sanandi methodus concedat, suffulcire.

Hinc in catarrhalibus infantum morbis attentio maxima in vocis ac tussis sonum, et in laryngis sub tussi ac pressione modica dolorem eo certius convertenda est, quo magis constat, statum laryngis et tracheae phlogisticum aeque inexspectato ingruere nonnunquam, ac celerrime decurrere. Primis itaque pathognomonicis signis observatis ratio medendi antiphlogistica, emolliens et derivans confestim est instituenda. Illico nempe potus et pharmaca emollientia tepida omni quinto, septimo temporis minuto primo propinanda, cataplasmata emollientia, hinc inde vapores quoque e spongia aqua vel infuso theato cum lacte calido imbuta leniter inspirandi, et enemata evacuantia sunt adplicanda.

Phlogoseos ac febris intensitate atque celeri incremento sanguinis depletiones exposcuntur, quas omnes fere medici ut remedium cardinale in angina membranacea jam exculta commendant. Quae etsi in tam periculoso morbo summe sint necessariae, attamen earum usque ad animi deliquium protractionem, id quod nonuullis placet, vix imitarer, aut cuidam sequi suaderem. Sanguinis missio potius morbi vehementiae, sicuti etiam phaenomenorum necessitati accommodetur oportet; simul ratio habenda erit constitutionis aegrotantis atque peculiaris organisationis corporis, in aetate

infantili adhuc versantis, nec non reactionis vasorum systematis in systema nerveum; dantur enim casus, ubi in gratiam imprudentis et temerariae sanguinis prodigitatis debilitas insecuta sit, infantulum enecans.

Depletiones sanguinis ope venaesectionis, hirudinum et cucurbitarum cruentarum instituuntur. Phlebotomia convenit infantibus natu majoribus, plethoricis, constitutionis sat robustae, quibus jam ab initio pulsus plenus et durus, facies rubens, ac tanta respirationis est molestia, ut omni momento suffocationem exspectare liceat. Quo in casu repentina sanguinis missio, universalem causans laxitatem, insultus primarios citius moderabit, secundarios vero interdum praevertere poterit. Nil refert; quamcumque venam secueris, effectus semper idem manebit. Quum praeterea apud infantes non plenaria venae eligendae facultas concedatur, venarum saltem magnitudo respicienda. Attamen venam brachii, manus vel pedis prae jugulari seligere praestabit, quia inter et post venaesectionem collum nimis comprimendum foret, quae compressio sanguinis circuitui respirationique obstacula ponit.

Cucurbitae cruentae profecto utilissimae, ubi de locali sanguinis agitur evacuatione, quarum tamen vix frequens in praxi infantili usus.

Quod hirudines attinet, in infantibus tenerae infra annum cum dimidio aetatis, sicut inflammatione primum incipiente et modica, febrique exigua aequam ad symptomata topica rationem non tenente convenit et sufficit illarum adplicatio. Numerus pro varia aegrorum aetate et vario morbi intensitatis gradu diversus est, ita ut ab 3 aut 4 ad 6—8 ascendat. Sanguinis stillicidium e punctis ab hirudine locis pro casus necessitate spon-

giis humefactis aut cataplasmatibus emollientibus sustineri potest, vel, si hoc non juvat, sub reviviscente morbi ferocia ad alteram recurrendum depletionem. Locus, quo earum adplicatio optime instituitur, ipse laryngis et tracheae ambitus maxime oportunus, quum parti adfectae internae sit proximus; vel pro evitandis inquietudinis, renitentiae ac ejulatus, refrigerii, et deligationis incommodae damnis brachium alterutrum huic inservire poterit operationi. — Methodo ista tempestive statuta, remediis nominatis una cum regimine diaetetico concordante diligentissime adhibitis, et exactissime continuatis malum formidandum infringere, et sine Calomele etc., tractamine mere emolliente, diluente, diapnoico, et eccoprotico ulterius administrato ad decrementum atque crisim perducere resolutoriam completam, plerisque in casibus felicissime continget. Memoratarum conditionum defectu ad antiphlogistica interna quoque, solventia et eccoprotica, confugiendum, post et inter sanguinis evacuationes porrigenda; qualia sunt: hydromel infantum, infus. laxat. D. V., electuar. lenitivum, emulsiones amygdalinae cum exiguis nitri depurati dosibus.

Praemissis hisce, quae phlogoseos impetum moderare juvant, remediis, ad ea transeundum, quae humorum plasticitatem corrigere, eorum per inflammatam superficiem secessum infringere, atque separationem laticis jamjam exsudati et coagulati promovere valent. Cui fini optime respondent Mercurialia, in specie Calomel, et frictiones mercuriales. Medici Americani primi fuere, qui magnas in usum traxerunt mercurii dulcis doses, ita quidem, ut teneris infantibus plus quam viginti grana intra nychthemeri spatium propinarint, quorum exempla Angli et Germani secuti sunt. Numerosissimis, quae hujus methodi praestantiam evicerunt, experientiis nec ratio deest; cum ne-

minem lateat, mercurialia praecipue in vasa lymphatica et ipsam lympham agere, et in morbosis membranarum mucosarum secretionibus corrigendis summum praestare. Mercurii mitis vires medicatae latius adhuc extenduntur, cum ejusdem actione hepatis functio impellatur, et incitata in tractu intestinali secretione gravis actio antagonistica provocetur, qua copiosae alvi ductiones mucoso-faeculentae, viridescentes aut brunescentes, odoris specifici, insequuntur, morbi symptomata mitigantes, et statum universum in meliorem reddentes.

Ut autem hydrargyri, quod plerumque tarde agere consuevit, promptus habeatur effectus, in morbo tam rapide decurrente summopere necessarius, generosiores omnino, ac brevibus intervallis exhibitae requiruntur doses, quae, quod mirum sane est, haud raro ab infantibus absque ullo salivationis indicio assumuntur, nec ob minorem molem et saporem gratum recusantur. Aegris infra tertium aetatis annum granum dimidium ad integrum omni secunda aut quavis hora repetendum; aetate majoribus et annum quintum transgressis, urgente necessitate, granum unum et dimidium, vel et grana duo pro dosi exhibeantur, et illius usus eo usque continuandus, donec signa particularum membranacearum a parietibus laryngis aut tracheae solutarum, et alvi pultaceae supra descriptae adpareant. In nonnullis casibus, in quibus febris vehementia quamvis fracta alvus obstinate clausa manet, mercurii dulcis dosibus aliquot grana pulveris radicis Jalappae adjecta, praeeunte celeberrimo J. R. Bischoff effectum praestant exoptatum. Ut cura, quantum fieri potest acceleretur, etiam unguentum neapolitanum juxta decursum vasorum lymphaticorum colli inungere juvabit, superimposito dein cataplasmate.

Quamprimum vero ptyalismi instent signa, a mercurialibus recedendum. — Usum mercurii dulcis, dosibus praeprimis justo majoribus continuatum, aegri constitutionem valide adgredi, et partium fluidarum resolutionem promovere posse, larga docet experientia; ut itaque nonnisi periculi altitudine, et, quod praestat, auxilio certo, hydrargyri usus excusari possit.

Hepar sulphuris alcalinum a nonnullis celebratum, saporis et odoris ingrati, nauseosi causa ab infantibus, utut syrupo mixtum, communiter recusatur; ceterum stadio solum inchoantis transsudationis quadrare, atque levioribus modo cynanches membranaceae in casibus exspectationem adimplere posse videtur. — Hujus remedii applicatio monente clarissimo I. R. Bischoff in illis casibus indicatur, ubi apparatu antiphlogistico et Calomele quamvis adhibitis, lymphae coagulabilis exsudatio continuat, et intrans diarrhoea, ptyalismi indicia, vel et virium proxima exhaustio ab ulteriori mercurii dulcis usu abstinere jubent. Dosis singula pro varia aegri aetate et vario morbi gradu a gr. 1, 2 ad 5 usque ascendit, omni bihorio repetenda. Forma, quae infantum gustum minime offendit, linctus est. Solet tamen etiam in pillulis et pane oblato involutum dispensari.

Contingente lymphae coagulabilis secretione respiratio saepe per lymphae coactae massas, lacinias membranosas aut frusta tubiformia summopere inhibetur, atque sic infantis vita periculo exponitur. Ut nunc cohibeatur secretio ipsa, ut, quod secretum jam adest et coagulatum quodque secerni pergit, antequam coagulum subeat, eliminetur, ingenio practico opus est acutissimo, quo et inflammationis aut irritationis solum in larynge et trachea superstitis gradus, et febris indoles, status virium universalis, nec non spasmorum communissime ingruentium vera significatio rite aestimentur.

Pro indicationibus mox adlatis apte implendis magni momenti est notare, infantes tenellos et antehac nec validos, nec plethoricos hoc in stadio plus minusve debilitatos consuetim esse, et majores solum, vigorosos, plethoricos ac vivaces nisi primo (inflammationis) stadio methodo antiphlogistica nimium generosa fuerint tractati, satis adhuc vigere, imo quandoque saltem hujus stadii (secretionis, transsudationis) initio reactionem adhuc offerre debito fortiorem.

Remedia hoc in stadio, quatenus sanguinis evacuationes non amplius requisitae forent, plerisque casibus congrua sunt epispastica, vesicantia nempe vel sinapismi laryngis et tracheae regioni, aut nuchae, aut pectori, dorso intra scapulas, brachiis, aut suris adplicandi.

Ubi autem conditione individui vigente viribusque laudabilibus, aliqua adhuc inflammationis febrisque symptomata, aliqualis speciatim dolor in larynge, tussis frequens, hinc inde vehemens, fere sicca, secretio morbosa segnis, parca copia secreti tenacis, spissi, calor et sitis majores, pulsus frequens, sat fortis, respiratio citata et difficilis animadvertuntur, sine mora per methodum antiphlogisticam et emollientem, diluentem debent prius auferri. Postmodum pharmaca mere emollientia et diluentia, diapnoicis et bechicis nupta indicantur, uti vapores, pediluvia, semicupia emollientia, infusa theata ex althaea, verbasci, sambuci floribus; calomel cum sulphur. aurat. antim. aut kermet. mineral. aut ipecacuanh.; rad. polygal. Seneg., squilla, et probabiliter hepar sulphur. alcalinum.

Pediluvia tepida emollientia aut irritantia ex aqua tepida, decocto seminum sinapis, salis culinaris solutione, lixivio communi etc. expertissimus G ö l i s parare jubet. Ast vero, cum aeger, si his utatur, ex situ mo-

veri et erigi debeat, transpiratio proinde facile impediatur, et supprimi possit, aeger itaque morbi exasperationis periculum subeat, magnus ille vir ex hac ipsa causa pediluviis fomenta emollientia aut irritantia substituit. Hunc in finem pannis laneis usus est, liquido pediluviis destinato immersis et extortis, quibusque calidis pedes obvolvi, eadem cautela, uti in cataplasmatum usu observata, curavit. Quorum locum, cum majoris sint pretii, eorumque incautus usus in aegrorum damnum verti possit, epispastica optime supplebunt.

Polygala Senega, tanquam specificum ab Archer in angina polyposa commendata, revera serioribus stadiis, quando de eliminandis in trachea collectis massis membranaceis agitur, ingressaque debilitas et paralysis imminens respiciendae veniunt, eximias praestitit virtutes. Quod remedium praestantissimum nec umquam alio supplendum expectorationem maxime sollicitans, stagnationes solvens, respirationis impedimenta amovens, cutis munera expedit, et lotii secretionem facilitat. Medicus autem illius moniti nunquam non memor esto, a minoribus nonnisi dosibus incipiendum, et caute ad majores transeundum esse. Sufficiunt itaque ab initio gr. 12 — scrp. unus vel drachm. semis pro colatura unc. quatuor aut sex; majores enim doses saporis acris gratia aegrius ferunt infantes.

Cum iisdem si frequens ad tussim irritatio urget, ipsaque potissimum est spasmodica, pacantia et antispasmodica, uti extract. hyoscyami, laudanum, — si vera supervenit debilitas, excitantia, uti camphora, moschus, asa foetida (forma enematum), vel utriusque generis remedia combinata in usum trahuntur, v. g. calomel cum extract. hyoscyam., cum camphora vel moscho; sulph. aurat. antim. cum extr. hyoscyam. et camphora etc.; liquor. corn. cerv., aut sal volat. corn.

cerv. cum camphora aut moscho; tandem lotiones ac balnea calida et vaporosa.

Ubi vero peculiaris sub tussi strepitus lympham et coagula soluta designat, ubi ob expectorationem eorum nullam aut insufficientem stertor increscit, et suffocationis imminet periculum: emetico opus est.

Usus vomitoriorum a quibusdam auctoribus in dubium tractus, quae contra alii veluti sacram ancoram considerarunt; alii eorum propinationem in secundo solum morbi stadio commendarunt; plurimi tandem nonnisi post praegressas sanguinis depletiones eadem impendunt. Medici, qui statim sub exordio anginae membranaceae ad emetica refugiunt, illius naturam ignorare aut multum fidei unico tribuere medicamini videntur, quod multis in casibus perniciosum fieri potest. Optime post primam porriguntur venaesectionem ad irritationis progressus limitandos, partesque affectas alterandas; in secunda vero periodo inserviunt ad effectum hujus irritationis delendum, i. e. ut formata jamjam concrementa e viis aëreis eliminentur.

Variae species emeticorum contra hunc morbum adhibentur, quo pertinent: Tartarus stibiatus, vinum stibiatum, ipecacuanha in pulvere, infuso et forma syrupi; sulphur auratum antimonii, zincum sulphuricum. Inter haec tartarus stibiatus in solitis casibus caeteris praeferri meretur; in aqua solutus vix sapore percipitur, quamobrem ab infantibus prompte assumitur. Facilius quoque ac securius adhiberi potest, quando tantummodo nauseam et nullum vomitum producere cupimus, nec non leviter alvum movendo sudoremque moderatum provocando agit. Aliis quoque emeticis poscente necessitate cum emolumento uti licet.

Recentiori tempore artis hippocraticae famuli sulphas cupri ut emeticum actione cita excellens in usum

vocabant, magnam illius virtutem experti. Dosis pro parvulis infra et circa unum aetatis annum versantibus ad $\frac{1}{8}$—$\frac{1}{6}$ gr., ab uno usque ad quatuor annos ad $\frac{1}{6}$—$\frac{1}{4}$—$\frac{1}{3}$ gr., et natu majoribus ad $\frac{1}{3}$—$\frac{1}{2}$ gr. destinata, omni $\frac{1}{4}$—2 hor. in forma pulveris vel solutionis propinatur. Convenit ceteroquin, statim ab initio ad vomitum ciendum 2—3 gr. una vice porrigere, et postea remedium hocce in dosibus exiguis ad $\frac{1}{8}$—$\frac{1}{4}$ gr. omni bihorio continuare, dum confirmatum est, in cynanche polyposa tantum observari ventriculi torporem, ut infantibus ab $\frac{1}{2}$—2 ann. emetica more adultorum sint exhibenda.

Sic et sternutatoria pro crassamentis illis expellendis commendari merentur. — Lympha tamen cito nimis, et in moles majores, vel in tubulum membranae internae laryngis et tracheae adglutinatum coacta omne eheu! artis conamen eludit; aeger vel morti succumbit suffocativae, vel dyspnoeam posthumam patitur cum respirio sibiloso et raucedine, prorsus immedicabilem.

Tracheo—recte laryngotomia, urgente suffocationis metu commendata, prodesse modo potest, ubi a frustis coagulatis aut membranis laryngi laxe inhaerentibus hoc unice pendet periculum. Id quod rarum; coagula enim membranacea in tracheam imo nonnunquam in bronchos et eorum ramificationes usque pertingere, istac materie lymphatica impleri, pulmones vel jam nunc plurimum debilitati, fere paralytici, humoribus obpleti vel simul inflammati esse, et ad respirium angustissimum haud raro spasmi gravissimam conferre symbolam consueverunt. Operatio praeterea in infantibus non solum ob laryngis parvitatem et perpetuum sub in — et exspiratione difficillima motum perardue instituitur, sed intendendo etiam irritationem et phlogosin revocando non obesse nequit. Tandem peracta laryngotomia pergit morbosa muci saltem secretio, qui, aegro tussire

et expectorare nunc vix valente, tanta in viis respiratoriis accumulatur mole, ut suffocet.

Durante convalescentia ex angina membranacea debilitatem universalem aeque ac topicam sensibilitatem nimiam et irritabilitatem, quae supersunt, tam victu et pharmacis adcommodatis demulcentibus et tonicis, quam aëre puro, sereno ast blando et tepido, atque regimine concordante auferre, simul causas occasionales mali supra recensitas, refrigerationem in specie, solertissime fugiendo recidivam praevertere, necesse est.

Theses defendendae.

I.

Cynanche membranacea funestis circumstantiis concurrentibus contagio propagari potest.

II.

Sine cognitione universi non existit cognitio corporis humani.

III.

Medico eget tam sanus, quam aeger.

IV.

Auscultatio in pectoris morbis optimum diagnoseos suffulcrum.

V.

Pallor plantarum chlorosis hominum.

VI.

Non datur herniae incarceratio spasmodica.

VII.

Ad vitam infantis post partum demonstrandam, non sufficit docimasia pulmonum hydrostatica.

VIII.

Chemia organica frustra exspectatur.

IX.

Status virium dux supremus in Pyretologia.

X.

Simulat hinc inde catarrhalis maligna oculi inflammationis egyptiacae formam, sed non est.

XI.

Actio narcoticorum stimulans semper negativa.

XII.

Laryngotomia in angina membranacea raro exoptato coronatur successu.

XIII.

Dantur morbi salutares.

XIV.

Fides in medicum multum confert ad aegri sanationem.

XV.

Synchondrotomia ex operationibus obstetriciis releganda.

